

Beda ^{a)} sic ^{a)}: Ab Adam usque nativitatem Christi computantur secundum Ebreos anni 3952 ¹⁾. Inde usque ad passionem eius anni 33 et dimidius annus. Si in 1. anno, quo Adam factus est, terminum Pasche posueris ^{b)} in 12. Kal. Apr. ²⁾ et 7 concurrentes, erit ipsa dies 4. feria, in qua sidera condita sunt, plenilunium atque equinoctium; quod si cum tali termino talique concurrente ciclum inde inchoaveris et usque ad Christi nativitatem vel passionem supputando predictum annorum numerum perduxeris, erit anno nativitatis dominice terminus Pasche Kal. Apr. et concurrentes 4, annoque passionis dominice terminus 17. Kal. Mai. ³⁾ et concurrentes 4.

Hec Beda.

Hoc autem dicit Beda, ut ostendat damnum 261 annorum, qui desunt in cronicis de predicta summa secundum Ebreos, ab ipso anno, in quo contigit dominica nativitas secundum supputationem predictam, qui est annus 253 ante incarnationem ⁴⁾ iuxta Dionisium ^{e)} usque ad annum 9. incarnationis secundum eundem Dionisium ^{d)}, qui est annus nativitatis dominice secundum Bedam. Ab anno enim 54. cicli magni paschalis ^{e)} indictione 15., qui est caput mundi teste Beda iuxta cronicas, usque in annum 42. incarnationis iuxta Dionisium, in quo Beda putat Dominum passum fuisse 10. Kal. Apr. ⁵⁾, et resurrexisse 8. Kal. Apr., anni sunt 4246: quod ita probabitur verbis ipsius Bede: Ab Adam usque ad Christum, hoc est in annum 253. ante incarnationem ⁶⁾ iuxta Dionisium ^{f)} 6. indictione, anni sunt 3952, qui sunt 7 magni ^{g)} cicli ^{g)} numero annorum et insuper 228 anni; qui tamen magni cicli incipiunt ab anno 54. magni cicli paschalis ^{h)}, qui est caput mundi. 3200 ergo sunt 6 magni cicli et supra 8 anni. Adde 2 annos predictos ad 8, fiunt 10; supersunt tunc 760 anni, id est magnus ciclus et supra 228 anni ⁷⁾.

^{a)} Beda sic *fehlt* L. ^{b)} possueris V. ^{c)} Dionissium V. ^{d)} Dionissium V. ^{e)} paschalis V. ^{f)} Dionissium V. ^{g)} magni cicli: cicli magni L. ^{h)} paschalis V.

¹⁾ Vgl. *Chroniken* (z. B. *Chron. min.* c. 176, *MG. AA.* 13, 281) und *Epist. ad Pleguinum*, ed. *Jones* S. 307 ff.

²⁾ 21. III.

³⁾ 15. IV.

⁴⁾ Vgl. *oben* S. 203.

⁵⁾ 23. III.

⁶⁾ Vgl. *oben* S. 203.

⁷⁾ $3952 : 532 = 7 \text{ Rest } 228$. $3200 : 532 = 6 \text{ Rest } 8$; $752 + 8 = 760$; $760 : 532 = 1 \text{ Rest } 228$.